

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 5. An saltem Deus potest dispensare in aliquo præcepto legis naturalis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

rali prohibitæ, vel præceptæ, & per quas  
mutatur materia.

*Not.* Aliquid est de jure naturali permis-  
sivè, vel præceptivè. Illud est de jure na-  
turali permisivè, quod Lex naturalis nec  
præcipit, nec vetat, nec irritat; sed per-  
mittit fieri, vel aliter de eo statui. Illud  
est de jure naturali præceptivè, quòd præ-  
cipitur, vel prohibetur jure naturali, ac  
proindè cujus oppositum à nemine statui  
potest.

*Q.5. An saltem Deus potest dispensare  
in aliquo præcepto Legis naturalis?*

*Resp.* I. Ex communi non potest dispen-  
sare directè, & propriè. Quia dispensare  
propriè in lege est liberare aliquem ab ob-  
ligatione Legis, manentibus omnibus cir-  
cumstantiis, sub quibus Lex viget, & obli-  
gat. At Deus non potest absolutè hoc fa-  
cere in Lege naturali. Ergo. *Prob. Min.*  
Nam Deum liberare aliquem ab obligatio-  
ne Legis naturalis, manentibus omnibus  
circumstantiis, sub quibus illa per se obli-  
gat, est Deum concedere alicui, ut agat  
aliquid jure naturali vetitum, vel omittat  
aliquid hoc jure præceptum, manentibus  
omnibus circumstantiis, in quibus id jure  
naturali prohibetur, vel præcipitur: ac  
proindè ut agat id, quod est intrinsecè ma-  
lum, ac inhonestum, vel omittat id, quod  
tunc

tunc ex natura rei necessarium est ad honestatem morum , & cuius omissio dedecet naturam rationalem. At Deus non potest absolutè hoc concedere ; nam hæc concessio repugnat Sanctitati , ac Sapientiæ Divinæ , & decenti , ac ordinatae gubernationi creaturæ intellectualis.

*Resp.* II. Deus potest dispensare impropriè in iis Legis naturalis præceptis , quorum materia pendet à Dominio Dei, quatenus potest materiæ legis apponere , vel tollere conditiones , ac circumstantias quasdam , quibus positis , aut sublatis actiones jam non sunt Lege naturali prohibitæ , vel præceptæ. Sic Deus , ut supremus rerum , ac jurium omnium Creaturarum Dominus , potest alicui tribuere jus usurpandi bona aliena , occidendi innocentem , &c. Quo jure dato , acceptio boni alieni non est injusta , imò non est acceptio alieni , sed boni , quod fuit alienum , & jam per donationem Dei factum est proprium accipientis ; occisio innocentis est justa , cùm fiat auctoritate accepta à Deo , qui potest pro libitu disponere de vita hominum , &c. In iis vero præceptis , quorum materia non pendet à Dominio Dei , ne impropriè quidem dispensare potest : nam sunt quidam actus ita intrinsecè mali , ut in nulla circumstantia fieri possint liciti : cujusmodi sunt odium Dei , blasphemia , idololatria , hæresis , perjurium , &c.

Q. 6.